



I V D I C I V M T H E O L O G I C V M,

D E

S A C R A M E N T A L I Absolutione & peccatis militum in Regno POLONIÆ Colligatorum seu Confæderatorũ, ab A. 1661.

I.



Milites in Regno Poloniæ ab Anno 1661. Colligati seu Confæderati, quamdiu sunt in Colligatione eiusvè proposito, non sunt capaces Absolutionis Sacramentalis, ipsis validè, & sine Sacrilegio, tam eam Ministrantium, quàm accipientium impendendæ. cùm sint in statu peccati mortalis, immò peccatorum mortalium.

II.

Peccarunt enim dicti Milites, & quamdiu manent in Confæderatione peccare perseverant; ipsâ suâ Colligatione. quâ, & quidem violenter recesserunt receduntq; à debito

A

servitio,

seruitio, ac debitâ obedientiâ legitimâ, etiamq; supremâ Præsidentia. ab obedientiâ nimirum debita Regi Serenissimo, & Ducibus belli, qui eius Maiestatis vice funguntur. Recefferunt autem ab obedientiâ debitâ in rebus maximi momenti; quia in defendendâ fide Catholica, & promouendo, defendendoq; bono Reipublicæ, præsertim temporibus admodum periculosis.

Aggrauarunt hoc peccatum iidem Milites Colligati, nullo quidem prorsusq; inualido, & ad nihil obligante, (quia de re malâ factô) verè tamen Sacrilego iuramento. cum sit grauißima Dei iniuria, pro teste rei malæ adhiberi-

Aggrauatum & exinde Peccatum eiusdem Colligationis, quòd in re sit facta (esto nomen mutarit) contra grauißimas Reipublicæ, contra Confæderatos, Constitutiones. quæ appositæ habent pænas grauißimas. sunt latæ in graui materiâ. & maxima boni communis mala auertere intendunt. adeoq; sint licet Ciuiles, obligant sub mortali in conscientiâ

Repetierunt verò suæ Confæderationis peccatum Milites de quibus sermo, quotiescunq; eam nouo moraliter actû, (hoc est actû per somnum aliasuè occupationes &c. interpolato) inuicem, vel coram alijs laudarunt, defenderunt, confirmarunt, consuluerunt; imò & apud se internâ voluntate, aut complacentia approbauerunt. Repetierunt quoq; Sacrilegum & aggrauans suam Colligationem iuramentû, non solum qui & quoties, illud renouarunt; sed etiam qui & quoties, in malum suæ Colligationis finem, alia diuersa iuramen-

iuramenta apposuerunt, vel ea exegerunt. puta, repetierunt
 Officiales, Commissarij, ac alij; qui, & quoties noua in finem Colligationis iuramenta consuluerunt, ordinarunt exegerunt, præstiterunt.

Non excusat autem à peccato Militarem hanc Confæderationem, quod Militibus in ea Colligatis Respublica stipendia ipsis debita, in tempore non persoluerit. Non enim fas, debitum à creditore, repetere eo modo, quo dicti Milites per suam Colligationem repetunt, vt infra Num: 6. constabit.

Deinde Respublica non distulit Militibus Colligatis stipendiorum ipsis debitorum solutionem, cum morâ culpabili: siquidem ea in tempore persolvere non potuit, impotens ad tempus reddita, per tot hostium incurfus & depopulationes; perq; tot ipsorum Colligatorum (cum ad hostiles partes defecerant, ac deinceps) sua inter viscera transitus, circuitus, stationes, hyberna, & panum exactiones. Persolvere quoq; pro posse, etiam sub ipsum tempus conclusæ Colligationis efficaciter voluit; quemadmodum patet ex grauissimâ assècuratione Generalium Comitiorum Anni 1661. in quibus 50 tributa per singulos Regni Palatinatus, pro Militari solutione indicta; & binæ fumales Contributiones. Quorum & quarum summam collectam anno eodem Milites recepissent, si in obedientiâ debitâ perstitissent, & Collectionem summæ, grauissimis suæ vinculationis exactionibus ac iniurijs depauperando, & exhauriendo Rempublicam, non impediissent. Accedit quod

interea dicti Milites, dum eis stipendia differebantur, fuerint contentati pingui admodum pane, non semel eisdem concesso. in quo non solum censum à stipendijs dilatis abundè perceperunt, sed eodem, ipsa debita stipendia æquarunt, longèq; superarunt. Accedit quòd Respublica quæ Colligatis debet stipendia, sit eorum Patria, & Mater communis. cum quâ filijs, ipsa erga Matrem pietas, saltem non ita agendum, in exigendo debito, & absque morâ culpabili dilato, suadere debuit, sicut cum ipso, non sine morâ culpabili, debitore ludæo, agere non licet. Accedit præterea, quòd eadem communis Mater, durante Colligatione omnes modos tentarit & adhibuerit, vt Colligationem contentaret, dilataq; ipsi stipendia refunderet; etiam ad libertati suæ, coram Orbe vniuerso probrosissimam contributionem capitalem descendendo: & in tot tributorum, (ab exhaustis per ipsos Milites, Militum Fratribus suisq; Filijs) solutione exigenda, propè sanguinem pauperum exugendo.

III.

PEccauerunt quoq; prænominati Milites, & quamdiu eorum Colligatio durat peccant; quatenus absque vlla legitimâ potestate ac iurisdictione, arrogârunt & arrogant sibi ius supremum, etiam vitæ & necis, iusque in liberâ Republicâ captiuandi, iudicandi, & condemnandi etiam Nobiles. & in Republica Catholicâ, ius cogendi ad Monasteria: & quidè propter iniustas suæ iniquæ Colligationis causas. Adde quòd arrogârunt arrogantq; ius intercipiendi vias publicas, Cursoresq; seu Postarios Publicos; ac ius Literas secretas,
etiam

etiam Principum & Monarcharū aperiendi, legendi &c. &c.

Adde præterea, quod non absque execrando, vel inter barbaros læsæ Maiestatis crimine, arrogarint ius in telonia, salis fodinas, Regales Oeconomias, aliosq; Maiestatum proventus. ne quidem relicto eisdem congruo victu, & necessarijs ad sustentationem.

IV.

PEccauerunt præterea Milites Colligati, & quamdiu in suâ Colligatione perstant, peccare non cessant, vsurpatione potestatis, eiusq; supremæ, absolutæ, ac independentis, condendi in Republicâ Articulos, & ad Rempublicam dirigendi sua vniuersalia. ac insuper iuris, authoritativè imponendi Regalibus & Ecclesiasticis bonis, ex illisq; exigendi pensiones, nomine Panis dictas; hasque tam graues & insolitas, totiesq; pro arbitrio repetitas. Aggrauarunt hoc peccatum, tot & tantis in exactione dicti panis præiudicijs pauperum; puta, tot crudelibus plagis & ictibus hominum ac iumentorum. ipsis subinde cædibus. adiectione panis vt vocant trium dierum. extorsione ultra assignatum iniuste panem, victus & com meatus sumptuosi, pro se socijsq; suis, ac suis & Sociorum iumentis, mulieribus, canibus venaticis, comitatu &c. &c. Itemq; præpeditio operarum agriculturæ, tam pro colonis, quam pro Dominis eorum. totq; alijs modis. De multiplicatione huiusmodi peccatorum, per noua & noua consilia ac decreta, perque alios externos & internos actus (sicut & de multiplicatione infra ponendorum) ex Regulis Generalibus est iudicandum.

Peccarunt etiam Milites Confæderati, inæquali distributione, in assignando onerosissimo, quem non semel in dixerunt Pane. Cum enim dilata eis stipendia, debeat tota Respublica; & hæc parte potissimâ constet Nobilitate, bonisq; Nobilium; non absq; grauiter iniuriosa inæqualitate, ex solis Regalibus Ecclesiasticorumq; bonis, quamdiu eis solutio non exhibetur, exegerunt exiguntq; Panem; in cuius partem, si & bona Nobilium venissent, longè fuisset bonis Regijs & Ecclesiasticis tolerabilior. Aggrauarunt tamen ijdem Milites, suas de bonis Ecclesiasticis & Regalibus Panis exactiones, tot furtis nocturnis diurnisq;, totq; rapinis in bonis Nobilium commissis; & tot inuitè extortis, in prædijs domibusq; Nobilium tractationibus; in transitu statiuis & præiudicijs; pascuorum depastionibus; pagorum circum sua Castra deuastationibus &c.

VI.

Peccauerunt quoq; Confæderati, & quamdiu volunt esse qui fuerunt, peccant; violentâ repetitione debitorum sibi stipendiorum. Licet enim iustitia permittat occultam compensationem debitorum, cum aliter repeti non possunt: non tamen eorum extorsionem publicam & violentam.

Non licet enim propter bona infima (ad quæ pertinent stipendia) incurrere in bona altiora. quæ inter, est Libertas & immunitas humana.

VII.

Peccauerunt ijdem Milites Confæderati grauissimâ quasi vsurâ, exigendo intra viscera Reipublicæ suam sustentationem,

tationem, quam in hostico habere poterant: & tantas contributiones propter dilationem suorum stipendiorum. Nul-
lus enim debitor tenetur alere creditorem, nisi sit in ex-
tremâ necessitate; & nisi Creditor sua alimenta in partem
debiti computet. Accedit quòd hucusq; sustentatio Mili-
tum Colligatorum, contributionesq; pro ipsis, iustâ Pru-
dentum æstimatione, excreuerint, ad plures Millionum de-
cades; quorum illis vix tertia aut quarta pars, iure exag-
geratissimo debetur.

Aggrauauerunt hoc peccatum, saltem illi Confæderati,
qui ea, quæ à pauperibus titulo sustentationis extorserunt,
in luxum conuiuiorum, vestium, aliorumq; suum Statum Mi-
litarem excedentium conuerterunt. Aggrauauerunt præ-
terea. quia cum pauperes subditi non essent soluendo, pe-
cora eorum longè plura, & inferiori pretio quàm iustum
erat taxata, etiam per inuasiones nocturnas rapuerunt.
Aggrauauerunt etiam, quia e. g. indictum numerum curruū
famī, interea tam rari & cari, extraordinariè oneratis curri-
bus, receperunt. quos vix loco motos, in plures currus diui-
dere debuerunt. Itemq; indictas frumentorum mensuras,
non ordinarias in loco exactionis, sed e. g. Miechouien-
ses, Sendomirienses, vel similes extorserunt. Syluas quoq;
cum damno notabili, non solum pro suis vsibus exciderunt;
sed etiam excisas cum deuastatione earum arbores, easq;
interdum selectas, vendiderunt, donarunt &c. Aggrauaue-
runt insuper, quia tum multos, quibus ne obolum debuit
Respublica, in societatem suæ Colligationis admiserunt,
eisq;

eisq; sustentationem de bonis Reipublicæ & Ecclesiæ, sine
vllâ vel iniquè colorati tituli umbrâ concesserunt. & eos in
illorum rapinis furtisq; defenderunt.

VIII.

Peccauerunt iidem Milites Confæderati, contra immuni-
tatem Ecclesiasticam, post tot Canones à Sacro Conci-
lio Tridentino decretam, in Bullaq; Cænæ Domini pro-
mulgatam. quatenus noua Panis onera Archiepiscopis, Epi-
scopis, Prælatiis, Clericis, & alijs Personis Ecclesiasticis; ac
Personarum Ecclesiasticarum, Monasteriorum, beneficio-
rumq; Ecclesiasticorum (etiam ea sequestrando) bonis: isto-
rumq; fructibus, redditibus, & prouentibus, absq; Romani
Pontificis speciali & expressâ licentiâ, imposuerunt. &
diuersis ac exquisitis modis exegerunt. aut sic imposita etiâ
à sponte dantibus & concedentibus receperunt. nec non
qui per se vel alios directè, aut indirectè prædicta facere, exc.
qui, vel procurare; vel in eisdem auxilium, consilium, vel
fauorem præstare non sunt veriti. Quapropter, ipso facto,
& ante omnem Canonicam denuntiationem seu publica-
tionem, Bullæ Cænæ Maiorem (in qua inforduerunt) Ex-
communicationem incurrerunt. cuius absolutio Summo
Pontifici est reseruata. & quam nostro etiam in Regno
obligare, supponit Synodus Węzycouiana *Cap. 7. tit. de*
Casibus reseruatis. & à quâ absoluentes sine legitimâ
potestate, tam Capellani Confæderatorum, quàm quicunq;
alij Confessores eorum, Sacrilegium & maiorem Excom-
municationem incurrerunt. immò incurrerunt ipsam Ex-
commu-

communicationem Bullæ Cænæ, ratione fauoris & consilij, quem, & quod, intra vel extra Confessionem, cum grauissimo scandalo, & tam suarum, quàm alienarum animarum seductione, Confœderatis bona Ecclesiastica onerantibus vel diripientibus, præstiterunt. quin & ratione auxilij, ac complicitatis, quibus, sui Ecclesiastici, multoq; magis Religiosi statûs immemores, in diripiendis Ecclesiasticis bonis, etiam per crudeles modos, scandalosè, impiè irreli-giosè, & in totius Regni Ecclesiæq; Catholicæ facie impudenter, ac non sinè turpi & plusquam crassâ Sacrorum Canonum, ad suumq; officium pertinentium ignorantia vel contemptu, sæcularibus præire non erubuerunt. Siq; post has Excommunicationes, toties multiplicatas quoties actus sub ipsis interdictos multiplicarunt, ab eisdem legitimè non absoluti sacrilegè Missas celebrarunt, vel aliquem actum Ordinis solenniter exercuerunt, grauem insuper ex delicto irregularitatem, toties quoties, incurrerunt.

IX.

PEccauerunt ijdem Milites, quia per intolerabiles & repetitas Panis exactiones, aliasq; iniurias in bonis fundationum Ecclesiasticarum factas, impedièrunt in Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, Religiosorumq; & Religiosarum Monasterijs laudes Diuinas; & eorum, earum, ac hospitalium, ex Patrimonio Christi congruam sustentationem. Sacrificia item pro viuis ac defunctis sub graui obligatione fundata. Accedit, quod propter eorum exactiones, coactæ sint aliquorum Monasteriorum Moniales,

contra Canones, & Religiosæ disciplinæ obligationem, clausuram suam deferere, & vitæ necessaria, inter sæculares periculosè viuendo, à propinquis alijsq; sæcularibus emendicare. Accedit præterea, quòd non sit spes, Ecclesiasticas Religiosasq; Personas, citò postmodum obligationibus suorum Fundatorum satisfacturas; cum in foundationibus earum, Coloni coacti sint, domos, pagos, & agros deferere; sementem non iacere; necessariaq; agriculturæ iumenta amittere &c. &c.

X.

Peccauerunt etiam Milites dicti, cogendo Rempublicam ad sumptus grauissimos in Regni Comitijs, præsertim tanto tempore protractis; inquè morosis Commissionibus, & in alijs modis, quos sumptuosissimos adhibere (frustra præsertim) ad eorum contentationem debuit. ne per eos vltimatè periret. Aggrauauerunt hoc peccatum, quia negotiorum ad Nobilitatem & Rempublicā, quibus seruiunt, per se pertinentium, primariam sibi curam vsurparunt, & eorum longâ promotione, sumptus Comitiorum & Commissionum auxerunt.

XI.

Peccauerunt ad hæc. Quia cum ex debito sui status Militaris obligentur, bonum Reipublicæ, vel ipso sanguine promouere defendereq; impedierunt suâ Confæderatione, prope inæstimabilia Reipublicæ bona, quæ ex belli Moschouitici prosecutione & consummatione, erant accessura. feceruntq; per eandem Confæderationem, quòd
cum

cum ingenti eiusdem Reipublicæ damno, vires Moschus resumens, arces, Castella, totq; alia ad Rempublicam pertinentia, cum fructibus & prouentibus eorum occupârit, & periculosum Regno bellum promouere possit.

Scythæ quoq; in ditionibus Regni ali debuerunt. totq; prædas ex eis abegerunt. tot Christianos in captiuitatem duxerunt. &c. Cosaci item nondum planè ad Rempublicam accesserunt, qui alioqui accessissent. Turcæ Munitiones in finibus Regni, Regno & toti Ecclesiæ Catholicæ admodum periculosas, & nonnisi maximis impensis, belloq; sumptuosissimo & periculosissimo tollendas excitauerunt.

XII.

PEccauerunt insuper Milites in Regno Confæderati, actiuo scandalo, Lithuano exercitui dato. Qui eorum exemplo ac imitatione, similem iniit Confæderationem, & ad similes iniustitias, etiamq; ad crudelem sui Ducis cædem processit. Aggrauauerunt Milites Confæderati scandalum hoc, & consequentium ad illud Lithuanici Exercitus iniustitiarum participes facti sunt, qui & si de ipsis Authores fuerunt, vt similem Confæderationem Exercitus Lithuanicus iniret; vel qui eum in eadem aliquando confirmarunt, suis consilijs, promissis, auxilijs, modisue alijs.

XIII.

PLures Malitias, quas Militaris (de quâ hætenus) Confæderatio inuoluit; præsertim ex secretis Confæderatorum intentionibus, & condictaminibus: conscientia vniuscuiusq; Pænitentis Confæderati, tenetur intra se coram Deo

rimari, & integrè Confiteri; tam quo ad speciem, quàm quo ad numerum: & si quæ adhuc minantur bono publico nocumentum, ei qui occurrere potest, reuelare.

I V D I C I V M

THEOLOGICVM,

*De obligatione Restitutionis, à Militibus in Regno Poloniae
ab A. Dñi. 1661 Colligatis seu Confæderatis faciundæ.*

I.

TEnentur prædicti Milites Confæderati, ad compensanda positiua & negatiua damna, quæcunq; Reipublicæ, & quibuscunq; eius Communitatibus, ac priuatis Personis, in suâ Confæderatione perstantes intulerunt: vel quæ ex eorum Confæderatione, tanquam ex causâ, consecuta sunt. Immò eadem obligatio compensationis, & illis omnibus (quantumuis extra Confæderationem constitutis) suo ordine incumbit; quos aliqua ad Confæderationem attinentia, ex nominatis in hoc Iustitiali disticho inuoluit,

Iussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,

Participans, Mutus, Non obstans, non Manifestans:

Adhærebit autem prænominata obligatio (quamdiu ei non satisfiet) Militibus Confæderatis; etiam postquam suum Vinculum deseruerint: & quemcunq; tandem in quacunq; fortuna statum tenuerint. Quin & quibuscunq; successoribus eorum, in quascunq; generationes; qui & quamdiu de

diu de bonis ipsorum aliquid hæreditabunt. Oritur enim non solum ex re acceptâ, sed etiam ex iniustâ acceptione. Proportionaliter dicendum, de eiusdem obligationis, suo ordine in illis duratione, quos inuoluit in vicino recitatum distichon.

Porro solui ab hac compensationis obligatione nemo poterit; per aliquam absolutionem datam, virtute cuiuscunq; Indulgentiæ vel Iubilei; aut virtute cuiuscunq; Priuilegij Religionibus, Pijis Sodalitatibus, Confraternitatibus, Sacro etiam Scapulari vel Rosario concessis. Quia huiusmodi Priuilegiatæ absolutiones, præiudicare non possunt iuri naturali, cui infundantur irradicanturq; obligationes iustitiales. Dari quidem à culpâ, etiam reseruata Ordinarijs Confessoribus iniustitiæ, per Priuilegia modo nominata, Absolutio potest: supposito vero, efficaci, ac debito proposito, de satisfaciendo (cum & si satisfieri poterit) iustitialibus obligationibus: sed per eadem Priuilegia non possunt extinguï, ipsæ iustitiales ad satisfaciendum obligationes.

Solui quoq; ab eadem compensationis obligatione, poterit nemo, per datam etiam largam Eleemosynam, vel in res pias oblationem. Non item per factam fundationem Templorum, Monasteriorum, & similium; perq; legata Testamentaria, in res quantumuis pijsimas; quamdiu ipsis iniuriatis fieri compensatio poterit.

Omnia namq; ista istisq; similia, si fiant ex iniquo & alieno, hoc est ex rebus iniuste alicui ablati, & ad alterum ex iustitiâ pertinentibus nec satisfactis, potius sunt noua pec-

cata & iniustitiæ nouæ, quam iustitiales compensationes.

Si soluentur Milites Confæderati à prædictâ compensationis obligatione, per extortam à Republica Amnistiam; soluentur quidem vtcunq; in foro fori, sed non in foro Poli & conscientiâ. quandoquidem Amnistia quæ illis concedetur, & non erit spontanea, sed iniusto grauioris mali metu expressa; & Rex cum Senatu ac Nobilitate adeoq; Republica, ad priuata saltem rusticorum Ciuiumq; bona, permittendum est vt se habeat tanquam defensor, iudex, vindexq; illorum: non verò cogendum, vt sit eorum donator & translator. Licet & hoc, ex iustâ, saltem à parte suâ, causâ, (vti & Summus Pontifex) possit.

Per ingressum in Religionē voto Paupertatis obstrictam, solui quidem à compensationis obligatione Milites Confæderati possunt; sed tenentur antequam Religionem ingrediantur, omnia quæ habent, & ante hæc, omnia quæ apud eosdem ex iniustè ablati in se extant, restituere ijs quos iniuriarunt. Siq; de rebus, per quas restitutionem iniuriatis à se facere possunt, aliquid secum in Religionem (non leuiter per hoc ipsum peccando) intulerint; non secus quæ inferent, à Religione ipsis iniuriatis, (quamdiu supererunt) vel eorum successoribus erunt restituenda, atque essent, si rem hesterno furto, aut hesternâ rapinâ ablatam, in Religionem intulissent. Addunt communiter Doctores. quod debitor, iustitialis compensationis, si potest breui tempore (paucis e. g. annis) per consuetos labores vel prouentus, facere compensationem iustitiam Creditori,

tori, aut iniuriatis; tenetur Religionem differre quoad eam faciat. Si autem non potest facere, nisi per insolitos labores & longo tempore; tenetur (vt notatum proximè) relinquere his quibus debet, vel quos iniuriavit, omnia quæ ante ingressum religionis habet. in ipsâq; Religione (vti probabiliter censent Medina, Valentia, Reginaldus, Molina, Syluius) debet conari, vt per laborem, vel per artem si quam nouit, pro posse satisfaciat. etiam aduitaliter, si ante mortem non consummauerit debitam compensationem. Adde quod debitor iustitialis compensationis, si postmodum ex Religione redeat ad sæculum; redeat ad eundem ex integro omnis illa compensandi obligatio, quâ ante Religionis ingressum tenebatur.

II.

FAmuli Militum seu Gregarij in Confæderatorum exercitu, non obligantur in solidum ad compensanda omnia damna, quæ per totum Confæderatorum Exercitum, tam in re, quàm in causâ illata sunt. immò & damna quæ ex mandato suorum Dominorum intulerunt. Si tamen hæc posteriora, Domini in solidum non restituerint: tenentur eadem in solidum restituere Famuli.

III.

Idem Famuli, & quicumq; in nexu seu vinculo vltimi Gregarij, tenentur ad restituenda in solidum omnia damna, quæcunq; ignaris vel non iubentibus Dominis fecerunt. siue per se singuli seorsim; siue iunctim per alios & cum alijs, in mutui confidentia auxilijs; & siue per furta claude-

stina,

stina vel rapinas; siue per quascunq; inuasiones & expilationes Pagorum, Oppidorum, domorū, iter agentiu &c. &c.

IV.

Ipsi verò Domini Milites, seu Socij Militares, tenentur primariò ad compensationem in solidum, omnium damnorum, quæ per ipsorum famulos, iussu aut suasu eorum, tacito vel expresso, sunt illata; immò quæ illata Dominis scienter conuiuentibus, permittentibus, dissimulantibus. etiamsi ex damnis Famulorum non sint facti ditiores Non tenentur tamen restituere Domini famulorū damna, quæ famuli contra veram probationem, seriamq; voluntatem; aut præter notitiam, vel post punitionem Dominorum, ex suâ malitiâ intulerunt. Cæterum si Domini requisiti, super quibuscunq; damnis per suos famulos factis, eos defenderunt, vel ad satisfactionem non adegerunt; tenentur loco famulorum in solidum satisfacere. Similiter cum proportionem iudicandum de Colonellis, respectu eorum, quos habent vel habuerunt sub suis vexillis. deq; alijs Officialibus, respectu eorum, qui illis subsunt vel suberant. vsque ad supremum Confæderationis Mareschalcum inclusiue, respectu totius Confæderatorum exercitûs.

V.

AD compensanda in solidum damna contributionum Panis, per Articulos Confæderatorum indicti, (ex probabili in hac Materiâ fauore Doctorem) non omnes obligantur Socij Militares. immò nec omnes, qui in Concilio Militari pro talium indictione Contributionum suffragium dederunt;

derunt; sed tantum Pars illa, quæ est prior suffragata: & cuius suffragatione Contributiones prædicti Panis conclusæ sunt & fuissent, esto alij reclamassent. Quamuis enim posterius suffragantes peccauerint, consentiendo in præcedentium iniustitiam ac peccatum; non tamen obligationem totius restitutionis, ex Articulo Militari & suffragatione ortæ, incurrerunt. Similiter definit Nauarrus, loquens in simili de suffragatione Capituli, vel vniuersitatis, in quibus maiori parte statur. Itaq; à fortiori non incumbit illis Militib; Confæderatis obligatio in solidum, totius, quem & quia eorum Confæderatio indixit, Panis restituendi; qui se ex industriâ à Militaribus super hoc puncto consiljs subtraxerunt, ne suffragium ferre cogerentur. Itemq; Militibus; qui & quando alijs de causis, consiljs Militaribus, super Pane indicendo non interfuerunt, vel qui in Consiljs Militarib; eiusdem Panis indicationi reclamauerunt. Tenentur tamen & isti omnes, ad restituendam per Militare Concilium vel Concilia indicti Panis partem illam, quam suppositâ Militaris Concilij indicatione pro se perceperunt. & quidem cum satisfactione pro Pane trium dierum, & alijs grauaminibus, personalibusq; & realibus iniurijs, quas, in Panis per alios indicti exactione, per se, suosq; famulos, substitutos, Reuisores &c. fecerunt.

Maximè igitur primariò ac ante alios, ex obligatione iustitiæ, & sub damnatione æternâ; incumbit pro indicto Pane onus restitutionis in solidum primis Capitibus eiusdem Confæderationis, Nexûs, Colligationis, seu Vinculi: Marschalco videlicet; & post hunc Præsidenti, Consiliarijs, Deputatis, Officialibus &c. &c.

C

PRA-

P R A X I S

Seu

*Modus Absoluendi à peccatis, Milites in Regno Polonia ab
Anno Dñi. 1661 Colligatos seu Confederatos; eosq;
ad restitutionem obligandi.*

I.

Postquam dicti Milites Confederati suum soluent Vinculum; vel quicumq; de numero eorum, re ipsâ à Confederationis nexu recedet: vel saltem firmum propositum statim ab illo recedendi, & peccata illius amplius non continuandi sufficienter testabitur:

Monendus est inprimis à Confessario (qui respectu multorum de Confederatione debet habere Papalem à Casibus Bullæ Cænæ absoluendi potestatem, quemadmodum constabit inferius) vt firmum concipiat propositum, compensandi pro posse & debito, iniurias ac damna ingentia, quorum compensandorum obligationem, accedens Confederationis Vinculo, in eoq; existens incurrit.

Monendus deinde, vt coram Deo, qui non decipitur, cum suâ rationem ineat conscientia; an aduerterit ad Confederationis, in quâ fuit, peccata & malitias, hîc sub initium ex obiecto, & per se loquendo propositas; an verò illarum ex subiecto, habuerit ignorantiam inuincibilem, quæ à culpa formali excusat, & ab obligatione restitutionis eorum, per quæ non est factus ditior. Ignorantiam dico inuinci-

inuincibilem; nam non excusat crassa, & multò magis affectata. qualis censenda etiam in eo, qui peccata & malitiam Confederationis proponentes, vel proposituros, ex proposito ac voluntariè declinabat. locoq; eorum, ex industriâ, vel saltem aduertenter, Confessarios Consultoresq; rudes, vel propter suum interesse deceptorie blandientes & seducen-
centes, adhibebat.

Monendus praterea, vt omnes in suâ Confederatione malitias à se animaduersas, diligenter in memoriam reuocet, & in Confessione fideliter integreq; explicet, tam quoad omnes earum species mortaliter diuersas (puta explicet seorsim iniurias illatas in bonis fortunæ, seorsim in bonis honoris & libertatis, seorsim in bonis vitæ: seorsim contra immunitatem Ecclesiasticam, vel contra ius altum Reipublicæ; seorsim plures vel aliquas ex istis, in eodem actu concurrentes &c.) quàm quoad numerum in singulis speciebus mortiferis. in quo utroq; intra Confessionem iuuandus erit à Confessario.

Monendus deniq;, vt si quas in Confederatione existens Confessiones fecit, Sacrilegia per earum in statu peccati vsum, & post eas in vsu Sacratissimæ Eucharistiæ, forteq; in susceptione aliorum Sacrementorum, e. g. Matrimonij, commissa confiteatur. omnesq;, vt pote inualidas Sacrilegasq; Confessiones, quas tempore Vinculi cui innexus fuerat fecit, quoad omnia & singula mortalia repetat: addendo (si pro Palchate in vinculo est Confessus, extraq; Vinculum per integrum annum non est Confessus) quòd præ-

cepto Ecclesiastico de annuâ confessione non satisfecerit.

His monitionibus, alijsq; (quas prudentia Confessarij suggeret necessarias) præmissis; accipiat, Confessarius accuratè peccatorum Confæderati pænitentis Confessionem. eâq; acceptâ.

II.

Intelligat, in quonam statu, seu in quanam fortuna & opulentia, Confæderatus pænitens, ante Confæderationem, & si opus iudicauerit, ante Militiam, & ante Confæderationis Militaresq; iniustitias fuerit. Nam si in ante nihil vel parum habuit, & per Confæderationis, aut etiam militiæ iniustas exactiones, factus est diues, vel plus habens; tenetur omnia quæ iniustè acquisiuit, siue in Confæderatione, siue etiam in Militiâ, illicò, seu absq; morâ restituere. etiam cum amissione præsentis statûs sui, quantumcunq; opulenti & honorabilis. non tam enim huiusmodi restitutione statum suum amittet, quam alienum dimittet, & ad suum reuertetur. Si autem ante Confæderationem (siue ex Patrimonio, siue ex alijs iustè quomodolibet acquisitis) habuit, & modò habet bona ac facultates proprias;

Intelligat vterius Confessarius, quantum in præsens de huiusmodi facultatib⁹ retineat; vt iudicet decernatq; ; quanta parte reseruâtâ ad statum illius conseruandum, supersit & impendi debeat ad faciendas restitutiones. Licet enim excusetur per probabilem & fauorabilem Doctorum sententiam, debitor à restitutione statim faciendâ, ob secururam ex restitutione, notabilem iacturam sui statûs iustè acquisiti (modò

(modo tamen iniuriatus, sui quoq; status iacturam, ob illius iniurias subire non cogatur: & modò debitor seu iniurians, luxu, ludis superfluis, similibusq; post iniurias culpis, periculum amittendi per restitutionem sui status non incurrit) Milesq; proinde, qui alias habuit, & saltem modò habet iustè acquisitas facultates; si restituendo absq; dilatione iniustè usurpata, deberet se priuare, omni e. g. obsequio famulorum, equorum, & apparatu statûs sui decentiæ conuenienti; ac abstinere à consortio sibi similium; non teneatur statim iniustè usurpata restituere; sed restitutionē differre possit, donec eam facere poterit, sine iacturâ iusti & conuenientis status sui: debet tamen statim detrahere, intra limites necessariæ & conuēntis sibi decentiæ, quantum potest; vt absq; dilatione restituat, quod restituere saluo statu potest. cum firmo proposito ac intentione, quòd quantum & quando, saluo eodem statu suo deinceps poterit restituere, continuabit sensim debitam, etiam vsq; ad extremum vitæ, restitutionem. alioquin in mortale, ni satisfaciatur, iniustitiæ, (si est grauè debitum & mora culpabilis) peccatum, æternâq; damnationis reatum toties relapsurus, quoties eam vel partem eius, cum præstare poterit neglexerit. immò si ad vltimum vitæ, non adæquauerit debitæ satisfactionis obligationem, tenetur sub mortis articulum, Successoribus bonorum significare, quòd & illi teneantur sub peccato, & (si grauè quid restat compensandum) sub peccato graui æternâq; damnatione, ad continuandam satisfactionem. Itaq; Miles alieni usurpator, tenetur statim

à confessione, detrahare ex superfluis, (vltra suo ex iustis statui, conueuientem decentiam) vestibus, equis famulis variâq; supellectili. & detracta in restitutionem statim conuertere. estq; ad hoc à Confessario seriò obligandus: & nisi consentiat, non absoluendus. immò Confessarius ex annuis illius prouentibus, ad moderatam statûs ei conuenientis decentiam non omnino necessarijs, debet assignare certos annuatim pro hâc restitutione redditus.

Quod si pœnitens Confœderatus, etiam olim ex iusto opulentus, nihil iam habet, sed consumpsit vel amisit omnia: non tenebitur quidem interea, propter impotentiam, restituere: sed si & cum aliquando ad pinguiorem fortunam venerit, (quod vt restitutionem facere possit debet non negligere) tenebitur ad restituendum, tam in sua (quamdiu vixerit, & iniuste ablata restituendo, non adæquauerit) persona; quàm, vt prædictum, in suorum bonorum successoribus. in hisq;, etiam si super hoc moniti ab ipso, in vitâ vel sub mortem non fuerint. dummodo ipsum non adæquasse debitum satisfactionis, vndecunq; cognouerint. & multò magis si cognouerint, ne quidem restitutionem inchoasse.

III.

INtelligat quoque Confessarius; quibus personis, & quibus in locis, pœnitens Confœderatus damna inferebat. & utrû ea inferebat per se; aut eadem in se, seu in indiuiduo habeat: vt docere possit, quo ordine, & quibus sit facienda restitutio. Est enim facienda illis ipsis, quæ sunt damnificatæ,

catae, personis. Vel si hæ decesserint, Successorib⁹ earū Legitimis. Quod si fieri non poterit: est facienda Pagis vel Oppidis damnificatorum; & saltem pauperibus eorundem Pagorū ac Oppidorū. in horumq; donec defectu, facienda communī Domino IESV Christo, in illius pauperibus, templis, Monasterijs, &c. Si autem aliquis, prætermisâ personā damnificatā, &c. vel absque præmisâ super tali persona &c. morali diligentia, pauperibus, Monasterijs &c. restitutionem, etiam ex consilio Confessarij fecerit; tenetur nihilominus Personæ damnificatæ &c. ad satisfaciendum. Deinde ante omnia alia, est facienda restitutio illorum bonorum, quæ ex iniuste acceptis in se extant; seu quæ adhuc eadem numero damnificator retinet. puta equorum, boum, vestium, armorum &c: faciendaq; non in aliquo æquivalenti, aut in alio eiusdem rationis indiuiduo; sed in eodem ipso. recompenſando, si est culpabiliter deterioratum. & quidem faciendā, etiamsi qui eam facit, impotens reddi debeat, ad faciendas restitutiones alias, ad quas obligatur. Post hæc: restituenda sunt damna alia, quæ iniuriator per seipsum intulit. & postea damna, quæ intulit, vnum moraliter iniuriatorem faciens cum alijs, & in alijs, tanquam Socijs. tum damna quæ intulit tanquam adiutor alterius principalis, vel tanquam accedens ad Principalem aliquo modo, ex digestis in illis supra allegatis versiculis: Iussio Consilium: &c. Porro semper prius fieri debet restitutio, personis & bonis Ecclesiasticis, iuxta restitutionis modò insinuatæ ordinem. vt pote singulariter Priuilegiatis.

IV.

Intelligat adhuc Confessarius, an pœnitens Confœderatus, ex bonis Laicorum vel Ecclesiasticis, indictum à Concilio Militari Panem exigebat. Nam si ex Ecclesiasticis (quicunq; ille & cuiuscunq; status fuerit) incurrit excommunicationem Bullæ Cænæ Domini. vti & omnes illi, qui ius suffragij in Militari Concilio habentes, pro Pane ex bonis Ecclesiasticis exigendo, dederunt efficax suffragiũ. omnesq; illi quos superius producta Bullæ Cænæ verba comprehendunt. quamuis per se suosq; famulos, Panem ex eisdem bonis, pro se non exegerint. Præterea, si Miles Confœderatus exigebat Panem ex bonis Ecclesiasticis, & non potest statim restitutionem facere; debet antequam absoluitur, dare aliquam cautionem, de facienda cum primũ poterit restitutione.

Bulla enim Cænæ Domini sub finem, requirit cautionem, etiam ab illo, qui in mortis articulo á Casibus in eã contentis absoluitur. Debet autem hæc cautio esse, pignoratitia, fideiussoria, vel saltem scripto, aut iurata promissione &c.

Adde debere pœnitentem Confœderatum, qui Excommunicationem Bullæ Cænæ Domini incurrit, aperire species actuum & numerum, per quos eandem incurrit. cum toties contra immunitatem Ecclesiasticam deliquerit, & toties censuratus fuerit: ab omnibusq; Censuris, tam quoad speciem, quàm quoad numerum, ante absolutionem Sacramentalem præabsolui debeat.

Adde

Adde præterea, præabsoluendum esse, ante absolutionē Sacramentalem Militem Confæderatum, licet non denunciatum, si excommunicationem Bullæ Cænæ incurrit; & ab omnibus in specie ac numero excommunicationibus minoribus, quas cum alijs communicando contraxit. Concilium enim Constantiense, concedendo, vt cum Maiori excommunicatione innodatis non denunciatis, sit libera conuersatio; non intendit fauere ipsis excommunicatis non denunciatis à parte ipsorum; sed solùm alijs à parte eorum. & quæcunq; excommunicatio Minor, impedit sub mortali, falsiũ vsum Sacramentorum.

V.

SI Penitens Confæderatus, nec potest, nec spem habet faciendæ aliquando alicunde Restitutionis; videndum erit, an sit obligandus, vt iniuriatæ per se Reipublicæ, immò & alijs in Republicâ iniuriatis, (quorum illa est communis, Mater) satisfaciatur, non repetendo à Republicâ, si quæ adhuc ei debentur, stipendia; & militando contra hostes Patriæ, ad annum aut plures: pro quantitate damnorum illatorum: in suaq; Militatione non accipiendo stipendia, sed se iustis ex hostico prædis ad eum modum sustentando, quo se Tartari ac Cosaci sustentare solent.

VI.

Quamuis per se loquendo, seu ex obiecto naturâq; iustitiæ, ac ex communiori Doctorum sententiâ, incumbat grauissimum onus Restitutionis in solidum, omnibus & singulis Militibus (præsertim qui vocantur Militiæ Socij) pro

D

omni-

omnibus damnis, quæ totus intulit Exercitus. vnum enim moraliter fecerunt iniuriatorem: Existimat tamen non improbabiliter Molina ex Caietano, quod per accidens, seu ex præsumptâ voluntate illorum, qui ab exercitu damna passi sunt; satis sit, & vtcunq; in praxi tutum, obligare iniurium Militem; vltra satisfactionem damnorum, quæ per se intulit; non quidem ad restituendum pro toto exercitu, seu in solidum, secundum vltimum potentiæ: sed vltra restitutiones iniuriarum, quas per se sibiq; subordinatos intulit, ad restituendum pro cæteris moderatum aliquid, prudentum iudicio. attentâ qualitate Personæ, & attento, quod plus vel minus sit cooperatus ad damna quæ alij intulerunt. immò Layman & alij quidam (deducentes suam doctrinam ex Caietano & principijs Molinæ) solùm obligandos putant Milites, vt restituant singuli ex damnis per exercitum illatis, partem suam; seu ea tantum damna, quæ per se, vel modis specialem in eos obligationem Restitutionis adducentibus, fecerunt. cùm practicè Milites, nunquam pro toto exercitu satisfacere sufficiant; & non videatur, iniuriatorum per exercitum, alia esse rationabilis voluntas ac expectatio, quam vt vnusquisq; eam quam iniuste vsurpauit partem, restituat: Siq; vellent iniuriati per exercitum, ad omnia in solidum damna, quæ exercitus fecit, singulos milites obligari; minus vtiliter suum negotium agerent. quandoquidem requirerent à Militibus rem difficillimam, & iuxta morem humanū non practicabilem, ac desperandā.

Cæterum hæc Molinæ & Layman doctrina, non est existimanda

manda contraria supra positis, de quorundam in Exercitu Confæderatorum obligatione, ad compensanda in solidum, quædam per alios illata damna; ibi enim proposita, non æquè difficilem, vniuersalem, ac impracticabilem satisfactionem proponunt, atq; est satisfactio vnius Militis pro toto exercitu: & afferunt peculiarem obligationis titulum, ad restitutionem in solidum, præ alijs Militibus obligantem. de seq; constat; homines, pro damnis e. g. iussu, vel consensu Dominorum à Calonibus illatis, satisfactionem à Dominis eorum expectare postulareq; sicut pro illatis à subordinatis Militibus, scitu vel iussu Colonellorum, aliorumq; Officialium, vsq; ad supremum inclusiue Ducem, expectare & itidem postulare, à Colonellis, Officialibus, ac Duce. ab istoq; specialiter pro toto exercitu &c.

VII.

FActâ tandem ad hætenus proposita &c. &c. reflexione, & indictâ ac acceptatâ, iuxta hucusq; tradita, pæniten-
ti Confæderato satisfactione; appositâq; tam mali, tamq; ad satisfaciendum difficilis statûs propositione; & graui cohortatione, ne aliquando in tantam peccatorum & debitæ satisfactionis abyssum reincidat; ac assignata conuenienti pro Confessis delictis pæniten-
tiâ; procedet Confessarius in Nomine Domini ad Sacramentalem Absolutionem.






APPROBATIO.

Iudicium Theologicum de peccatis Militum, in Regno Polonia
Colligatorum seu Confederatorum, deq̃ Sacramentali eorum
absolutione, ac restitutionis obligatione; necnon Praxis seu modus
illos absoluedi; optimè coherent cum doctrina Theologiae Mo-
ralis, & Doctorum Sententijs. Utq̃ publici iuris fiant, censeo
non solum dignum, verum etiam summè necessarium; ut &
Confessarij munus suum, absq̃ iniuria Sacramenti, debito circa
Penitentes adimpleant modo; & Colligationis malorum Rei, in-
telligant, in quàm misero ac æternæ damnationi proximo ver-
sentur statu. suarumq̃ saluti animarum, pretiosissimo IESV
Christi redemptarum Sanguine, per veram & seriam peniten-
tiam remedium quamprimum quærant. Datum Casimiræ 18.
Maij, Anno Dñi 1663.

HIACINTHVS LIBERIVS, S. T. D.
Prepositus Ecclesiæ SS. CORPORIS CHRISTI
Canonicorum Regularium, Librorum in Dioecesi
Cracouiensi Censor.



Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl

biuro@digital-center.pl

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.